

Bibliothèque numérique

medic@

**Pluinet, Bernard-Nicolas - candidat /
Mac-Mahon, Jean - président /
Barfeknecht, Otto-Casunirus - auteur.
- An noxiae Vulneribus Turundae ?**

1786.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Parisiensis
Typographi
Cote : ms 2337a n°138***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0138



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médicale
Paris

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA *

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-octavâ
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXVI.

M. JOANNE MAC-MAHON, Antiquo Exercituum Regis &
Nosocomiorum Militarium Medico, Regiæ Scholæ Militaris Medico
ordinario, Doctore Medico, Præsidente.

An noxiæ Vulneribus Turundæ?

I.

UT vita Hominis ab Arte & Natura pendet, sic
ab utrâque conservatur: cujusque sua sunt munia sepa-
rata vel mixta. Interdum natur ex se sola medicatrix,

* Propug. anno 1732, Otto-Casimirus BARFENNECHT.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

sæpiùs egena , ni juvetur ab arte. In multis siquidem natura ei quod nobis emolumento esse queat contrarium molitur ac perficit, quoniam ipsa solo instinctu regitur ; Ars verò rerum ducitur cognitione ac intelligentiâ : Ideoque Medicina plurima præstat supra vires & potestatem naturæ in morborum curatione, ope Chirurgiæ, plus manu proficientis quàm medicamento

I I.

EST autem Chirurgia antiquissima Medicinæ magistra, atque consistit in duobus, instauratione & detractio. Ad instaurationem pertinet deligatio, spleniorum & fulcimentorum usus, futura & fibularum impositio. Ad detractioem refertur tractio, propulsio, avulsio, divulsio, solutio etiam continui quæ sit parte durâ, vel molli, vel utrâque. In molli sectio, punctio; in durâ serratio, limatio, ratio & perforatio; in utrâque ustio & excisio. Hujus Chirurgiæ apprimè peritum decet esse Medicum, operationem ministris relinquere, qui magisterio Medici dirigantur. Chirurgus verò sit juvenis, Castra sequatur & Nosocomia frequentet, ut Vulnerum discrimina cognoscat.

I I I.

QUAMVIS enim Vulnerum curandorum indicationes sint consimiles, unionis solutionem resarcire, sublatâ inflammatione per venæ sectionem & refrigerantia, saniei deterfione & Carnis reparatione per exsiccantia & detergentia. Attamen pro variâ partis naturâ, & rei lædentis qualitate aliter tractantur Vulnera. Si Capiti Vulnus inflictum,

3

etiam leve, non negligendum, cui medetur sanguinis detractio liberalior, si fuerit Os læsum, quod Trepano excindetur. Pectoris Vulnera penetrantia, etiam perfossis Pulmonibus, non semper lethalia, uberiore & repetitâ sanguinis detractiōe sanantur: proinde in magnis Vulneribus corpus inediâ macerabis & exangue reddes. Ratione rei lædentis, siue contudentis, siue venenatæ aliter percurantur Vulnera, qualia sunt sclopetis. Sed omnia rarò solvenda atque medicanda, & nisi profundè sinuosa sint aut complicata, non adhibeantur Turundæ.

I V.

EX multiplici Lineamentorum genere quod in tractandis Vulneribus usurpatur, aliud est externum, quod Plumaceolus vulgò dicitur, aliud internum, Turunda dictum. De postremo tantum inquiritur, cuius apud veteres plurimæ sunt differentiæ, quibus indita sunt nomina à formis & figuris quibus effinguntur, vel à materiâ ex quâ conflantur, cuius modi sunt Linteum, Ellychnium, aut Suber, Spongia, radix Gentianæ, Argentum, Plumbum, Stannum, ex quibus efformantur canaliculi, ad implendas Turundarum vices.

INDUNTUR Vulneribus Turundæ ut aperiant & dilatent ad egressum puris, vel alieni corporis extractionem. Sed quantum officiunt curationi Vulnerum indè liquet, quod vulnera, si recentia, sunt dolorifica, ideòque non irritanda metu fluxionis, Turundarum intrusione, quas Natura Vulnerum medicatrix nititur semper excutere; si

vetusta, non egent Turundis, quæ coalitum impediunt
conservantque ulcera. Deinde Puris continuum effluvium
sistunt, cuius morâ & putredine magis effodiuntur &
excavantur ulcera, atque ferina fiunt.

Ergò noxiæ sunt Vulneribus Turundæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|---|--|---|
| M. Joannes-Josephus GILLE. | M. Joannes-Baptista-Adrianus
ROSE DE L'ÉPINOY. | M. Ludovicus-Petrus-Felix-
Renatus LE THIEULLIER,
antiquus Facultatis Decanus. |
| M. Joannes-Josephus-Hieroni-
mus DUCOS. | M. Josephus-Franciscus BOUR-
DIER DE LA MOULIERE. | M. Petrus-Maria MALOUE,
Eques, in Sacro Consistorio
Regis Senator, Augustissimarum
Galliarum Principum
Regis amitarum natumino-
rum Archiater. |
| M. Antonius - Petrus DE-
MOVAS, Regis Christianissi-
mi Ocularius designatus. | M. Ludovicus-Cyprianus DE
MONTAIGU. | M. Carolus GELLE DE SAINT
LEGER, Eques, Consilia-
rius Medicus Regis ordina-
rius, Primi Ordinis & io-
sius equestris agminis in exer-
citu Medicus primarius. |

Proponebat Parisiis, BERNARDUS - NICOLAUS PLUUNET,
Parisinus, Universitatis Medicinæ Monspeliensis Doctor, Saluberrimæ
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus A. R. S. H. 1786.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.